

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Loci theologici

Hafenreffer, Matthias

Wittebergae, 1622

III. Locus. De fide

[urn:nbn:de:bsz:31-122765](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122765)

III. LOCUS.

DE FIDE.

Dixisti supra, Electionis decretum tribus absolvi, & hactenus quidem de duobus egisti, de misericordii nempè Voluntate Dei, & perfecto Merito Christi.

Quodnam est Tertium?

Fides.

DEUS enim sola sua misericordia & merito Christi, absolute salvare homines non voluit, sed ut haberent rationem, qua Deum clementissimum Patrem, & Christum dulcissimum Salvatorem, debita gratitudine colorent in aeterno illo salutis Decreto, Fidem salutis medium & Instrumentum ordinavit, qua omnes homines Christum Mediatorem apprehendere, & sic per fidem salutem consequi deberent.

Hoc porro Fidei donum ut nobis conferatur, & collatum, ad finem, qui est vita aeterna, fideliter custodiatur, Christus Salvator noster, officio suo Prophetico, Regio & Sacerdotali, quam fidelissime desungitur. Curans nimirum PROPHETA MAGNUS, ut per Verbi, Legi & Evangelij Ministerium, Penitentiam & Fidem concipiamus. Quia verò multi renuunt, ipse tanquam SPIRITUALIS REX, peculiare Regnum & Ecclesiam sibi colligit: suisque civibus, omnia suo sacrificio parta beneficia (ut sunt remissio peccatorum, Iustitia, Sanctitas, Salus, Gloria aeterna, &c.) applicat, & Sacramentis confirmat: pro iisdem etiam in omni tentatione & adversitate

veritate, tanquam fidelis SACERDOS sine intermissione intercedit.

De hisce igitur jam Ordine dicendum erit. De Fide nimirum; de Lege & Evangelio: de Penitentia: de Ecclesia: de Sacramentis: de Iustificatione: de Crucis & Precibus: & tandem cū nullus sit personarum respectus apud Deum de diversis Ordinibus vitæ, Magistratu & Conjugio.

Quid est Fides?

Fides non est historica tantum verbi divini Notitia, vel simplex aut generalis Assensus: sed in Christum certa & singularis Fiducia: quæ in cordibus nostris, gratiæ Promissionibus per Christum, accenditur, iisdem alitur, atq; per SS. & verum Sacramentorum usum confirmatur, & obsignatur ad vitam æternam.

Quot igitur in hac Doctrina præcipue observanda sunt?

Quinq̃.

1. Fidem salvificam non esse nudam sacra historiae Cognitionem, aut certitudinis ejus generalem Assensum.
2. Sed esse certam Fiduciam, quæ Christum cum omnibus suis beneficiis apprehendat.
3. Verbum Dei, & peculiariter quidem gratiæ Promissiones, esse Fidei salvificæ fundamentum: nec hominis Opus, sed Dei donum esse Fidem.
4. Fidem obsignari per Spiritum sanctum & Sacramentorum usum.
5. Fidei finem esse vitam æternam.

Primum

Primum igitur proba, fidem non esse nudam historiae notitiam aut generalem tantum assensionem.

Quia historica notitia & generalis ejusmodi assensio, cadit etiam in hypocritas, & homines plane Epicureos: imò verò in ipsos Diabolos, qui tamen non salvantur.

1. Historica
Notitia.

Matth. 7, 21. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, Nonne in nomine tuo Prophetavimus, & in nomine tuo Daemonia ejecimus, &c. Et tunc confitebor illis, quia nunquam novimus vos, Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.

Luc. 12, 47. Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se preparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.

Jacob. 2, 19. Tu credis, quoniam Unus est Deus, ac ne facis, & Demones credunt & contremiscunt.

An verò ad salvificam fidem, Historiae cognitio & generalis Assensus non requiritur?

Maximè requiritur, & in Fide salvifica omnino praesupponitur. Nam ex decreto & historia redemptionis, atq; promissionibus gratiae universalibus illa fiducia in Christum exoritur. Hinc fides in Scripturis notitia atq; scientia appellari consuevit.

Esai. 53, 11. In Scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos.

Luc. 1, 77. Ad dandum scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum.

Proba

Proba secundò: Fidem salvificam esse certam & singularem fiduciam in Christum.

2. Fiducia.

I.

Quia non dubitatio, sed fides iustificat: nec qui dubitat, sed qui credit, habet vitam æternam.

Rom. 4, 16. Ideo ex Fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.

Rom. 8, 38. Certus sum (inquit Paulus) quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Ubi certe Paulus non de se tantum loquitur, sed de omnibus fidelibus: neque ex speciali revelatione, sed ex fundamento Redemptionis per Christum factæ, cuius in precedentibus mentionem fecerat.

1. Ioan. 3, 14. Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.

Quia Fides in cordibus piorum obsignatur Spiritu sancto.

Ephes. 1, 13. Postquam credidistis, signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est PIGNUS Hereditatis nostræ.

Ephes. 4, 30. Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo obsignati estis in diem Redemptionis.

2. Corinth. 1, 21. Deus confirmat nos vobiscum in Christum, qui unxit nos, & qui signavit nos, & dedit PIGNUS Spiritus in cordibus nostris.

II.

Quia ipsorum Sacramentorum. Finis est non ut Fiducia Fidei labefactetur, sed ut sustentetur & confirmetur.

Rom. 4, 11. Hinc Circumcisio vocatur sigillum iustitiæ fidei.

1. Pet. 3, 21. Baptismus stipulatio bonæ Conscientiæ.

Quia

1. Petr. 3. v. 21. Baptismus stipulatio bona Conscientia.

IV.

Quia Dubitatio apertis Scripturæ verbis reprehenditur, & Deum mendacij coarguit.

Matth. 14. 23. Modice fidei, quid dubitasti.

Rom. 4. 20. Laudatur Abraham, quod nihil habuerit diffidentia.

1. Iohan. 5. 10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in se. Qui vero non credit Filio, Mendacem facit eum.

Hebr. 10. 23. Teneamus spei nostræ confessionem non vacillantem: Fidelis enim est qui repromisit.

Cur addis, esse Fiduciam in Christum?

Quia solus Christus Iesus Redemptor noster est: in quo solo placere possumus Patri: Extra quem non est Salus.

Ioh. 10. 9. Ego sum ostium, per me, si quis introiverit, salvabitur.

Ioh. 14. 6. Ego sum via, veritas, & vita, Nemo venit ad Patrem, nisi per ME.

Act. 4. 12. Non est in aliquo alio salus: nec aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos Salvos fieri.

Quid verò addis: Esse Fiduciam fingularem?

Quia Fides salvifica non tantum circa Propositiones universales versatur (ut Pontificij tradunt) Deum videlicet misericordem, & Christum pro totius mundi peccatis Propitiatorium esse: sed quicquid Fidelis hæc omnia sibi in individuo applicat.

Gal. 2. 20. Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

aa

2. Tim.

2. Tim. 4. 7. Bonum Certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex.

Sed dicunt Pontificij, fastuosam esse & Pharisæicā præsumptionem, si quis sine hesitatione statuat, vitæ æternæ se hæredem esse?

Concil.
Trident.
Sess. 6 Can.
9. & 12.

Tum demum hoc dici posset: Si Fides nostra ipsorum merita, vel operum qualemcunq; dignitatem aut dispositionem respiceret. Quia v. in solius Dei misericordiam, & gratuitas propter Christum Premissiones directæ est: Propterea quanto firmior est, tanto luculentius Dei benignitatem & misericordiam celebrat, de omni hominum dignitate penitus desperans. Pontificij contra docendo & approbando dubitationem, Deum faciunt mendacem.

In Psal. 85.
Tom. 8.

Hinc Augustinus verè & eleganter: si dixeris te sanctum esse ex te, superbus es. Rursus fidelis in Christo, & membrum Christi: si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Itaque ut nec superbus sis, neque ingratus, dic Deo tuo, sanctus sum, quia sanctificasti me: quia accepi, non quia habui: quia tu dedisti, non quia ego merui.

At Scripturas etiam obijciunt, quibus Dubitationis dogma putant stabiliri, ut 1. Corinth. 10. v. 12. Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Et Phil. 2. 12. Cum timore & tremore Salutem vestram operamini?

Hæc & similia Scripturæ dicta, nequaquam Papiſticam dubitationem docent, quasi nunquam de salute nostra certi esse possimus aut debeamus: Sed sunt gravissime admonitiones, ne ulla ratione in carnalem secur-

securitatem prolabamur, qua vera Fides torpescit, & tandem Carnis operibus prorsus extinguitur.

Rom. 11, 22. Nisi enim in bonitate permanserimus, (per fidem) una cum Iudeis excindemur.

Col. 1, 22. Deus reconciliavit vos, &c. si tamen permanetis in fide fundati & stabiles, & immobiles sicut Evangelij.

Fortissimum dubitationis Argumentum extrui posse arbitrantur ex illo Ecclesiast. 9,

1. Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit?

Præter alia, quæ ex Hebræo textu dici possent, hoc unum jam ad futile istam objectionem diluendam sufficiat.

Certum est, Ecclesiasten ibi agere de eventibus rerum, eosque in hac vita bonis & malis prorsus similes evenire, acerbe conqueri. Dicit enim: hisce omnibus, quemadmodum reliquis omnibus evenire, eventum eundem esse justo & improbo, bono seu mundo & immundo, &c. Et hoc esse malum in omnibus, quæ fiunt sub sole, quod idem sit eventus omnibus. Minime autem sequitur: Ex eventibus rerum externis nulla differentia inter bonos & malos apparet. Ergo ex nullis usquam gratiæ promissionibus, quicquam de fidei & salutis nostræ certitudine nobis constare potest.

Iterum negare non potes, varias & magnas esse etiam fidelium tentationes, in quibus manifestò fluctuant: Ubi igitur isthæc, quam tantopere celebras, Fiducia & certitudo fidei?

Non est quæstio, de infirmitate humana, quam pro dolor nimis frequentem, tam in nobis ipsis, tum in alijs experimur: sed in eo negotij cardo vertitur, qualenam Fides naturâ & proprietate sua ex

Promissionibus divinis oriri possit ac debeat. Hic nihil de dubitatione commentandum, quæ ex carnis nostre pravitæ, fidei certitudinem nimium hostiliter ipsa infestat. Quæ tamen infirmitas nullo virtutis colore fucanda, sed pijs precibus, & Sacramentorum usu fortiter oppugnanda est.

Psal. 42, 6. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, & salutes faciei ejus.

Deinde, in ipsis quoque sanctis, nullam talem perfectam Ideam nobis imaginamur, quæ nulla inquietudine unquam percellatur. Variæ enim sunt vicissitudines, ut qui jam robusti exultant, paulo post inter infirmos & languescentes abjecti misere lamententur.

Psal. 27, 1. David triumphans exultat: Dominus est illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepitem? Sed mox,

Psal. 37, 23. Infirmitatem suam confitetur; Ego dixi in trepitatione mea, projectus sum à facie oculorum tuorum.

Adeoq; credentes navigantibus sunt similes, qui jam celo imminet, mox unda debescere ad ima vergunt.

Quia verò dixisti, Fidem esse certam fiduciam Christum apprehendentem, Ergo tentati in ipsis infirmitatibus carebunt fide?

Non sequitur.

Nam infirma Fides, quoq; Fides est, nec minus capit, quam Fides firma. Cum enim salutis ratio non in fidei dignitate & præstantia, sed in solo Christo, quem

quem apprehendit consistat: languida certe Fides non minus, quàm firmissima, in perfectum Salvatorem dirigitur. Atq; in ipso ipsa languescens omnes divitias salutis apprehendit. Qui enim languida manu nummum aureum accipit, non minus accipit illo, qui eundem manu firma capit & robusta.

Est igitur Fides magna, est quoque Fides modica: Est fortis & robusta, est imbecillis & infirma. Neque in omnibus, nec semper Fides est arboreum robur, sed multoties vix calamus quassatus; nec semper est fax ardens ac lucida, sed multoties vix linum fumigans.

DEVS etiam infirmam Fidem non abiicit. I I.

Psal. 51. v. 19. Sacrificium DEO Spiritus contritulus, cor contritum & fractum DEVS non despicies.

Esa. 42. vers. 1. Ecce servus meus electus meus, calammum quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet.

Ec quod consolatione plenissimum est, III.
non tam nos languida fide Christum apprehendimus: quàm ipse nos apprehendit languescentes, manum supponens, ne collabamur.

Gal. 4. 9. Cum cognoveritis Deum: Imò verò cum cogniti sitis à Deo.

Phil. 3. 12. Sequor, si quo modo apprehendam, cuius gratia apprehensus sum à Christo.

Rom. 8. 26. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, & postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Rom. 14. 1. Infirmum in fide assumite, &c. Deus enim illum assumpsit.

Tandem verò, quicquid de præsentis gratiæ
Certitudine statuere homo possit; nemo
tamen polliceri sibi potest finalem
perseverantiam?

Multos rursum deficere, tristitia sanè Exempla do-
cent; Id verò Deo nequaquam ascribendum. qui fi-
delis & verax eos, qui semel ad veritatis cognitionem
venerunt, usq; ad finem conservare cupit. Sed in ipsis
hominibus vitium heret, qui cupiditates carnis sectan-
tes, vel peccatis Spiritum sanctum expellunt, vel re-
rum terrenarum desiderio exacerati, semen, verbumq;
divinum suâ culpa, quod Christus in Evangelio docet,
suffocant.

Rom. 11. 29. Sine poenitentia enim sunt, dona &
vocatio Dei.

Phil. 1. Confido, Deum, qui cepit in vobis opus bo-
num, perfecturum esse usq; in diem Iesu Christi.

Quare dicis in definitione: Fidem gratiæ
Promissionibus accen-
di?

I.
Orig.
Fidei.

Primum, quia perpetua ad Dei verbum
Fides relatio est: quæ accenditur, sovetur, auge-
tur:

Rom. 10. 17. Nam Fides ex auditu. Auditus autem
per verbum Dei.

I I.

Deinde, licet Homo fidelis, omnibus omnino
verbi divini præceptis, & hæc si negligentur, adjectis
minis, tum etiam promissis de bonis Corporalibus Fi-
dem habeat (quorum illa legis, hæc magnam partem
cum infidelibus communia sunt) fidem tamen salvifi-
cam, peculiariter haurit ex promissionibus gratiæ, seu
Evangelij per Christum.

Quid

Quid sentis igitur de Fide implicita, qua Pontificij imperitum vulgus credere jubent implicitè ijs, quæ credat Ecclesia: siue ea in verbo Dei scripta sint, vel minus?

Sentio esse figmentum, quo Pontificij falso Ecclesie & Traditionum titulo, omnes illos Errores paliare conantur. quoscunq; extra, imò verò etiam contra Scripturam sacram plurimos defendunt. Sed propter dictam relationem Fidei ad verbum, nulla potest esse Fides, ubi nullum est Dei verbum.

Rom. 10, 17. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.

Implicita illa Fides neminem salvare potest. Nam Fides notitia est, non ignorantia: nec qui opinatur alium credere, sed qui ipse credit, salvabitur.

Ioh. 3, 16. Sic enim Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Ioh. 17, 3. Atq; hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Rom. 10, 9. Si ergo confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Sed quid? Annè explicita & salvifica Fides ex auditu verbi Dei hominum Opus est: an verò donum Dei?

Donum Dei planè gratuitum.

Iohan. 6, 44. Nemo enim, dicit Christus, potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.

AA 4

2. Thess.

2. Thess. 3. 2. Non omnium es Fides.

Phil. 1. 29. Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.

Vultne Deus omnibus hominibus fidem dare, an aliquibus tantum?

Deus omnes omnino homines ad agnitionem veritatis, veram Pœnitentiam & Fidem venire velle, supra in loco de Electione copiosius monstratum est. Nam Spiritus sanctus in omnibus, qui verbum serio & debito studio audiunt, vult efficax esse.

Cur igitur non omnes Homines, & ne quidem omnes audientes verbum, fidem consequuntur?

Non Deus, sed homines, in causa sunt, Fides enim non est omnium, quia nec omnes verbum audiunt: nec illi qui audiunt, semen verbi Dei in corde suo radices agere, & fructum ferre patiuntur, sed vel Cura rerum humanarum, Peccati & sceleribus, bonum Dei semen, quod fructificandi gratia seminatum est, suffocant, adeoque Spiritui sancto ingrata malitia resistunt.

Si res ita habet, cur tanquam singulare Dei donum celebratur Fides?

Quia licet homo diu verbum Dei audiat, suis tamen viribus Fidem in seipso excitare non potest: sed Deus accedat necesse est, qui per Spiritum sanctum suum auditorum corda convertit.

Rom. 9. 16. Non est volentis, neque currentis, sed misereentis Dei.

1. Cor. 3. 7. Neque qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Intro-

Interim certissima est regula, contra eam ne
 parte Inferorum praevalerent, Deum serio velle, ut o-
 mnes homines verbum audiant. Velle quoque omnibus,
 verbum audientibus, neque Spiritui sancto repugnantibus,
 per verbum Fidem & Poenitentiam largiri. Et vi-
 cissim summa blasphemia est, Deum insimulare, quasi
 propter occultum aliquod Decretum in arcano ipsius
 consilio factum, aliquem non credere, sed potius incre-
 dulitate sua perire vellet.

Cum Fides sit donum DEI, & dona Dei sint
 sine Poenitentia Dei: quæro u-
 trum Fides amitti pos-
 sit?

Maximè. Eicet enim Deus in se non mutetur, &
 quam Fidem semel largitus est, eam nos usque ad finem
 conservare cupiat: quam ob causam varia nobis Con-
 firmationis & obsecrationis media ordinavit, plurimi
 tamen Fidem, quam Dei dono consequuti erant, per
 cupiditates & illecebras carnis rursus amittunt.

4. Confir-
 matio Fi-
 dei.

Matth. 13. v. 20. Qui enim super petrosi seminatus
 est, hic est, qui verbum audit & continuo cum gaudio
 accepit illud. Non habet autem in se radicem, sed est
 temporalis.

Luc. 8. 13. Ad tempus credunt, & in tempore ten-
 tationis recedunt.

Matth. 10. 22. & 24. 13. Qui tamen perseverave-
 rit usque ad finem, salvus erit.

Rom. 11. 20. Tu fide stas, noli superbe de te sentire,
 sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non peper-
 cit, ne forte nec tibi parcat. Et mox. Vide ergo in te bo-
 nitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin &
 tu excideris.

AA 5

1. Tim. 1.

1. Tim. 1, 19. Quidam bonam Conscientiam repel-
lentes, circa Fidem naufragium fecerunt.

Coloss. 1, 22. Deus reconciliavit vos in corpore car-
nis Christi per mortem, & c. si tamen permanetis in Fi-
de fundati & stabiles, & immobiles à spe Evangelij,
quod audivistis.

1. Tim. 2, 15. Sic mulier salvabitur per filiorum ge-
nerationem, si permanserit in Fide & Dilectione, &
sanctificatione cum modestia.

1. Cor. 9, 27. Paulus de seipso ait: Castigo corpus
meum, & in servitutem redigo, ne forte, cum alijs præ-
dicaverim, ipse reprobus efficiar.

Huc pertinent omnes admonitiones, & ex-
hortationes, quibus Apostoli suos auditores atq; disci-
pulos ad constantiam excitârunt. Sicuti legimus, Act.
13, 34. & 14, 22. 1. Iohann. 2, 24. Hebr. 3, v. 6. 14. &
10, 36. & alibi.

Quomodo igitur Fides semel concepta
confirmatur?

I.

Per Spiritum sanctum. Qui enim donavit Fi-
dem, eandem etiam conservat & obsequat.

Rom. 8, 16. Ipse enim Spiritus testimonium dat Spi-
ritui nostro, quod sumus Filij Dei.

2. Cor. 1, 21. Deus confirmat nos vobiscum in Chri-
stus, qui unxit nos, & qui obsequavit nos, & dedit
pignus Spiritus in cordibus nostris.

II.

Per verbum Dei. Eodem namq; medio, quo Spi-
ritus sanctus genuit Fidem, eandem quoq; conservat
& auget.

Psal. 119, 92. Nisi lex tua oblectatio mea esset, jam
perissem in afflictione mea.

Prov. 18, 10. Turris fortissima nomen Domini, ad
ipsam currit iustus, & exaltabitur.

Per

Per Sacramentorum usum. Hæc enim propterea instituta sunt, ut Fidem nostram confirmant.

Rom. 4. 11. Hinc Circumcisio vocatur signaculum Iustitiæ Fidei.

1. Pet. 3. 21. Baptismus stipulatio bonæ Conscientiæ.

Per Preces, quæ cum primis etiam requiruntur.

Psal. 51. 12. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Marc. 9. 24. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.

Matth. 26. 41. Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.

Per bonam Conscientiam. Ne videlicet peccatis contra Conscientiam, Spiritum sanctum & Fidem amittamus.

Ephes. 4. 30. Nolite contristare Spiritum S. Dei, per quem ob signati estis in diem redemptionis.

1. Tim. 1. 18. Milita bonam militiam, habens Fidem & bonam Conscientiam. Quam quidam repellentes, circa Fidem naufragium fecerunt.

Psal. 101. 2. Perambulabo in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Non proponam ante oculos meos rem injustam facientes prævaricationes odiri.

Quomodo probatur Fides: cum Paulus dicat

2. Cor. 13. v. 5. Vosmetipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate?

Non tantum internis motibus Spiritus sancti: Hi enim in tentationibus ad nostros sensus valde languidi sunt.

Psal.

III.

IV.

V.

I.

Psal. 13, 2. Usquequo Domine oblivisceris mei in finem? Usquequo abscondis faciem tuam à me?

Psal. 31, 23. Ego dixi in trepidatione mea projectus sum à facie oculorum tuorum.

II.

Sed Verbo & Sacramentis.

Rom. 10, 13. Omnis enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Actor. 10, 34. Quoniam non est Personarum acceptor Deus, sed in omni genere, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

Quare tandem in definitione addis : Fidem obsignari ad vitam æternam.

Quia Finis Fidei est Vita æterna.

5. Finis
Fidei.

Ioh. 20, 31. Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.

1. Pet. 1, 8. Credentes exultabitis letitia inenarrabili & gloriosa : Reporantes finem Fidei vestra salutem animarum.

Postremò Vnicum adhuc quærere libet : quid nimirum Pontificij intelligant per Fidem formatam & informem?

Per Fidem informem, nudum & historicum assensum intelligunt, qui sine omni timore DEI, etiam in hominem impium & Epicureum cadere potest.

Per Fidem autem formatam intelligunt eam, quæ piæ affectionis & charitatis accessione locupletatur.

Quid tu ergò sentis, informaturne Fides Charitate?

Minimè.

1. Nam

1. Nam vera & unica Fidei Forma est: quod certa Fiducia Christum Salvatorem apprehendit, quod sine novo cordis motu nunquam fieri potest. Fides ergo per charitatem non informatur, sed per eandem operatur: de qua re infra in Loco de bonis Operibus quæ non forma sunt, sed fructus Fidei.

2. Deindè, cum de fine salvificæ agitur, de viva & certa Fiducia sermo est, quæ Salvatorem apprehendit, non de mortui Fidei cadavere, quod non magis Fides, quàm emortuum cadaver homo appellari potest.

Quis est usus hujus Loci?

Ut infinitam Dei Misericordiam agnoscamus, qui Filium suum unigenitum pro nobis dedit: nec quicquam ad salutem assequendam aliud à nobis requirit, quàm ut Fide ipsum amplectamur.

Ut Verbum Dei & Sacramenta, quibus Fides nobis donatur, foveatur & obsequatur, seculò, pie & reverenter tractemus.

Ut peccata, quibus Conscientia læditur, Fides & Spiritus sanctus expellitur, studiose caveamus, seu pestem fugiamus presentissimam & extremam.

Quinam Errores hæc fugiendi sunt?

Error Calvinianorum.

1. Qui docent primum, quamvis Deus omnibus hominibus verbum suum proponat, & ad Fidem suavisimè invitet: nolle tamen ipsum quam plurimè, nec Fidem, nec Penitentium largiri.

Theod. Beza in explicat. rotius Christianis. cap. 5. Vol. 1. Aphorism. 1. Facile ex iis, quæ diximus, intelligi potest, Tract. Th. quod Dominus efficiat, ut ij in locum suum abeant, pag. 190. quos idcirco creavit, ut in ipsorum justa condemnatione glorificetur, &c.

Aphorism. 2. Quum n. Dominus ijs causis adductus, quas

quas ipse solus novit, proposuisset eos in hunc finem creare, ut ipsius iram & potentiam suam ostenderet, simul eas causas gradatim ordinavit, quibus fieret, ut tota ipsorum exitij culpa in ipsis haberetur, quemadmodum à nobis (inquit) est antea demonstratum. Homine igitur in miseram illam conditionem sua sponte delapso, Dominus, qui reprobos merito quatenus corrupti sunt, execratur, in quosdam illorum simul atque nati sunt justam iram suam exercet.

Nulla vocatio ad evangelium.

Aphor. 3. In adultis v. duas alias rationes prorsus diversas observat. Quosdam n. ne hac quidem gratia dignatur, ut vel de Christo, in quo uno salus est, quicquam prorsus audiant, sed eos, viis suis ingredi finit, & ad certum exitum contendere, &c.

Vocatio inefficax.

Aphor. 4. Quorundam v. gravior etiam est casus, eorum videlicet, quos externa quidem prædicatione dignatur, sed qui vocati, nec volunt nec etiam possunt respondere, quoniam ita sibi in sua cæcitate placent ut dicant se videre: Quibus etiam non datum est veritatis Spiritum amplecti & credere. Itaq; quamvis necessaria, tamen spontanea est ipsorum pertinacia.

Johann. Pisc. Disp. de Prædest. Thes. 75. At Deus nemini salutem petenti illam denegat: sed omni petenti dat, juxta illud: Petenti dabitur, Pulsanti aperietur. Hoc tamen non obstat: quin nolit salutem dare omnibus quia nec omnibus dare vult hanc mentem, ut salutem petant: neque etiam id facere tenetur, quum nemini sit obligatus.

Thes. 85. Nam etsi non doceatur, Deum singulorum Hominum salutem velle, sed tantum Electorum atque Credentium, Item Justitiam morte Christi partam his solis (electis) animo communicandi offerre tamen poterit anxiiis animis instillari consolatio, nempe anxiiis animis electorum. Nam reproborum anxiiis animis nulla consolatio instillari potest: quia illi non possunt credere Evangelio: Consolatio autem per Fidem percipitur. Et sub fine illius Thesis: Nec quisquam rectè sic colligat, Gratia non singulis offertur animo communicandi: Ergo nec mihi sic offertur. Imò sic potius

potius colligendum: Gratia nonnullis offerretur animo communicandi: Ergo fieri potest, ut & ego sim in illo numero.

Thef. 19. n. 6. Quod verò ad locum Matth. 23. v. 37. Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? & noluisti. Ibi Christus loquitur (inquit Piscator) non ut Deus, Sed ut Homo: videlicet, ut minister circumcisionis, seu Propheta missus ad populum Iudaicum: qui voluntate humana singulos sibi oblatos in regnum Dei congregare, (a) Predicatione verbi studuit: At hoc non obstat, quin interim acquirerit in beneplacito Patris: ex quo Mysteria regni cœlorum à nonnullis occultavit. Ut Pater (Piscatoris quidem opinione) Matth. 11. v. 25. & 26. Imò quin beneplacitum illud, ut Deus, cum Patre commune habuerit.

Vilhelm Zepperus in instit. de tribus Capit. Relig. pag. 148. Deus Filios illius perditionis, quos ab Adam, & primo illorum in utero conceptionis, momento, atq; adeo in propria ipsorum natura interne cœcos, obfirmatos, & omnino malos offendit, Non ita sicut & electos suos (quos Natura quidem, & in se ipsis, illis nihilo invenit meliores) tractat: quin potius detrahit illis gratiam suam, qua alioquin, sicut & electi, illuminari, converti, & ad omne bonum præparari potuisset, atq; ita ipsos ingenita, innata & naturali cœcitate induratione & peccatis abire relinquit, & præterea Satana quasi mancipat, qui denum naturalem illam & connatam cœcitatem & duriciem efficaci sua operatione, magis & magis condensat & adauget.

Herm. Rennecher, in Aurea Cat. pag. 136. Deus igitur (b) reprobatis nihil aliud debet, quam meritam semper eos iram & iustam indignationem. Quòd ipsos igitur intelligit, non vocat, & ad Christum trahit, nec eos in Illo iustificat, nec fidem in eis creat: hoc ideo fit, quia nec nullo peccato elegit eos. Causa igitur illis negata, effecta quoq; ijs negantur, hoc est, quos electione non dignatus est, infidelibus etiam dona & beneficia, quæ electionis sunt effectus, denegat.

Et

NB,
Solutum quo Calvinianus homo in auditu Conceptionis sese erigere potest: conjunctum cum periculosissima Desperatione. (a) Hortendum auditu, Christum Salvatorem, ut Hominem aliud verbo prædicasse, ut Deum aliud occultasse.

(b) Per reprobos Calviniani

Et, sed ab- Et mox pag. 75. Hos (reprobatoſ Deuſ non ſolũ
ſoluto & à ſua ſalvifica gratia, & ab omnibus ejus effectis de-
preſcio ju- pellit & rejicit, ſed etiam ita rejeſtoſ partim Satanæ,
dicio ſuæ partim ſuis ipſorum concupiſcentijs & deſiderijs, ju-
divinæ vo- ſto judicio tradit.

luntatis Pag. 106. Ex his apertè colligi poteſt, verbum Dei
beneplaci- hominibus Non in (c) unum, ſed in diverſoſ fineſ
ro, inde ab- proponi, & admirando Dei judicio, ſic in utramque
æterno re- partem temperari & diſpenſari, ut non minus repro-
probabit. bis odor mortis ad mortem, quam electis odor vitæ
NB. ad vitam fit. Sic uno & eodem Dei verbo, tam repro-
(c) Unus bi ad damnationem enecantur, quam electi ad Sala-
Deo pro- tem recreantur.

poſitus eſt Pag. 168. Hic majoris lucis ergò notandum eſt: De-
ſiſ, ut vi- um verbo quidem ſuo omnibus in tota Eccleſia vo-
delicet o- luntatem ſuam exponere: ſed Spiritu ſuo ſoliſ ele-
mneſ Ho- ctis eam patefacere, & cognoscendam præbere, idque
mines ad non tantũ in genere univerſaliſ ſimul, ſed etiam ſin-
agnitione gulis in ſpecie ſeorſim.

veritatis Georg Spindlers nôtiger Bericht / pag. 274.
perveniat, & 275. Daraus dann gewiſſ iſt / daß Gott von
kövertan- Ewigkeit beſchloſſen hat / erliſchen zu geben den
tur & ſal- Ewigkeit zur Seligkeit / den andern aber nicht.

Quia verò Pag. 485. & 486. Dann niemand würd ſe-
multi ver- lig / dann der von Ewigkeit darzu erwehlet iſt / wie
bum re- auch niemandſ dem Evangelio glauben kan / er
ſpuunt, & ſey dann erwehlet: Dann der Glaub iſt eine Ga-
Spirituſ ſ. be Gottes / die allein den Erwehleten geſchenket
reſiſtunt, be Gottes / die allein den Erwehleten geſchenket
hominum vicio & cul- würd.

pa ſit, ut M. David Paræuſ in Rettung der Nârſtädtri-
verbũ vi- ſchen Bibel pag. 51. Warum aber Gott ſie / die
ta ſit illiſ verſtoſſene Zeuſſelſinder) in der ewigen Wahl v-
odor mor- bergangen / ſie in ihre Verderbniſ ſtecke laſſe / ihnẽ
ris ad mor- weder Buſ noch Glauben gibt / ſie nicht erleuchtet /
tem. endert / da ſie doch ohn ſein Gnad ſo wenig kön-
nen glauben vnd ſelig werden / als ein Mohr ſeine
ſchwarze

Schwarze Haut weiß machen / ja auch etwa auß
gerechten Urtheil sie mehr verblendet / verstocket /
die ist allein / die Besach / so der Sohn Gottes /
auß der Schoß des Vaters vns offenbahret hat /
ja Vater / dann es ist also wolgefellig gewesen
für dir. Dawider die Vernunft bellen mag / wie
lang sie wil / Gott ist ihr gewachsen / etc.

Ibidem pag. 103. Ja / das noch mehr ist / nicht
allein allerley / Sondern auch alle vnd jede Men-
schen insonderheit / wil Christus zu ihm kommen /
wie auch Gott wil das alle vnd jede selig werden /
aber nit in einerley Verstand des Willens. Dann
auch die Unbußfertigen / wil Er zu sich kommen /
das ist / gebeut ihnen ernstlich die Buß / vnd hat
Luft an ihrem Gehorsam vnd Wohlfahrt : (ob er
gleich weiß / das es seinem Vater nicht gefalle /
ihnen die Buße vnd Glauben zu geben / Matth. 21.
vnd 13.) welches die Gelehrten voluntatem præ-
cepti & approbationis nennen : Aber den Auß-
erwehlten ruffet Er eusserlich / vnd schafft zu-
gleich innerlich / daß sie kommen / dann sie sind sei-
ne Schafe / ihme vom Vater gegeben / darumb
werden sie kräftiglich durchs Wort vnd H. Geist
gezogen / daß sie glauben vnd selig werden / welchs
Voluntas Efficaciæ genennet wird.

Ex hisce proprijs Calvinianorum Docto-
rum verbis omnibus manifestum & planum est,
quod apertissime doceant. Nolle Deum omnibus Ho-
minibus, sed tantum Electis, quos absoluto & præ-
ciso Consilio ad salutem ab æterno destinavit, Peni-
tentiam & Fidem dare. Que doctrina non tantum
impia est in Deum, in quem isthac ratione; præci-
pua damnationis Causa necessario redundat: si enim

B b

ille

ille pluribus Fidem daret, & verbo gratiam suam, qua alioquin illuminari converti, & ad omne bonum preparari potuissent, neque à salvifica sua gratia (ut propria ipsorum verba habent) depelleret & rejiceret: plures certè salvarentur: verum etiam plenissima est Desperationis, cùm illa stante nemo homo scire possit, utrum sibi Penitentiam & Fidem Deus largiri velit; qua sine nec solatium firmum, nec spem ullam vitæ æternæ habere possumus.

2. Amplius docent, homines etiam sine Fide salvari posse.

Huldericus Zvinglius: In Elencho contra Catholicos, Tom. 2. Oper. fol. 35. a. Colligitur ergo his verbis, qui crediderit, & qui non crediderit, neque istos teneri, qui per artem audire nequeunt, neque istos, ad quos Evangelij mentio nulla pervenit.

Idem: In Fidei Christianæ Expositione: fol. 559. b. Deinde sperandum est tibi (o piissime Rex) visurum esse sanctorum prudentium, fidelium, constantium, torcium, virtuosorum, omnium quicumque à condito mundo fuerunt, totalitatem, cœtum & concubernium. Hic duos Adam, redemptum ac Redemptorem: hic Abelum, Enochum, Noam, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, &c. Hic Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numanum, Camillum, Carones, Scipiones: Hic antecessores tuos & quotquot in Fide migrarunt, majores tuos videbis. *Vid. Mentzer. Exeg. A. C. p. 190.*

Heinricus Bullingerus: Ueber gemeltes Buch des Zwingels vorher gesetzt. Quanquam fidelissimus Evangelij Præco, & Christianæ libertatis assertor constantissimus, Huldericus Zvinglius, omnia sua clarè circumspexit & dilucidè dixerit hoc tamen libello, sese veluti superans, de vera fide, nescio quid Cygneum vicina morte cantavit.

3. Vi-

3. Vicissim docent, *Fidem semel comparatam, nunquam amplius amitti posse.*

Theodorus Beza: In Praefat. Respons. 2. ad Acta Colloq. Mompelg. Veram fidem Electis irrevocabiliter donari, ac proinde quamvis interdum penitus abolita videatur, tamen amissam non esse.

Zanchius Miscel. pag. 186. Quia vera & solida fide in Christum credit, jam habet jus certum & immutabile vitae aeternae.

Vanissima Persuasio Epicureorum: *qui solam Historiae notitiam aut simplicem assensum veram Fidem esse somniant. Licet corde neg, Deum timeant, neg, peccata horrescant.* I I.

Huic admodum affine est Pontificiorum dogma, quo Peccati etiam contra Conscientiam admisi gravioribus illis & horrendis, Fidem non amitti tradunt. III.

Trident. Concil. Sess. 6. Cap. 15. Infidelitate ipsa Fides amittitur, sed quocumq; alio mortali Peccato non amittitur Fides. Inde mox: Divina legis Doctrina à regno Dei non solum Infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maleficos, rapaces, ceterosq; omnes, qui lethalia admittunt peccata.

Franc. Costerus, in Enchirid. cap. de Fide, pag. 178. rem similitudine explicat. Sicut optimi nobilissimiq; Medici, cum non ignorantia, sed fragilitate Naturae Præcepta Artis, quam callent, intemperanter vivendo violant (juxta illud: Doceo meliora proboque: deteriora sequor) scientiam medendi non amittunt, ita Christianus, qui contra Conscientiae dictamen in Legis Fidei peccat, nec Fidem amittit, nec definit esse Christianus. Nam hoc ipsam Conscientiae dictamen, quo Peccator metu Gehennae terretur, est Opus Fidei, sicuti interna Medici admonitio, ab arte proficiscitur.

Eorundem Error de Fide implicita: *quæ non illustrat, sed obscurat doctrinam Fidei.*

Lambard. 3. Sent. Diff. 25. Unde Job. 1. Boves arabant, & Asinæ pascebantur juxta eos: Simples & minores sunt Asinæ juxta boves.

IV.

Totum dogma de Dubitatione, *quod sana doctrina Fidei, è diametro contrarium est.*

Concil. Trident. Sess. 6. cap. 9. Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa fuisse unquam peccata, nisi gratis, Divinâ misericordiâ propter Christum, nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis Peccatorum suorum jactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est: Cum apud Hæreticos & Schismaticos possit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur, vana hæc & ab omni pietate remota fiducia.

Loyaniens. Articulus 9. Fides, qua quis firmiter credit, & certò statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis Testimonium, imò eisdem adversatur.

Enchirid. Franc. Costeri, cap. de Fide, pag. 132. Movetur Quæstio, debeatne Christianus certa Fide tenere, peccata sibi remissa, se justificatum, sibi præparatam salutem æternam, se regni celestis hereditatem aditurum? Doctrina Catholica habet; Nihil horum ad Fidem pertinere: primò quidem, quòd illa sola credenda sint, quæ Deus revelavit, & credenda proposuit. Nusquam autem in verbo Dei de privati hominis Justificatione quicquam legimus, ut potè ejus in literis sacris nulla fiat mentio: non est ergo Fide cuiquam tenenda, peccatorum suorum remissio vel justificatio.

Cathechis. Petri Canisii. de Justificat. Num. 13. pag. 381. Nullus scire valet certitudinem Fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.

IV. LO-